

ciderunt. Paginae in quaternas columnas divinae sunt. Librorum initia splendidis picturis ornata sunt, vel potius erant; nam scelerata manus eas omnes exsecuit, praeter eam quae libro tertio praefixa est. Lib. I pertinet usque ad f. 34 v., lib. II ad f. 76 v., lib. III ad f. 138 v., lib. IV ad f. 189 v., lib. V ad f. 249 v., lib. VI ad f. 315 v. Etiam post folium secundum aliquid excidit; nam ejus linea ultima exstat in Cod. 398 f. 45 v., l. ult., et linea prima folii tertii in illo est f. 88 v., l. 6 ab inf. Ut ex eodem illo Codice intelligitur, ab initio hujus nostri decem fere vel undecim sectiones exciderunt. Linea prima folii ejus quod nunc in hoc nostro primum est, in illo legitur f. 32 r. med.

- X No. 401. Cod. pers. foll. 202, 4° obl., char. neschi, continens Anthologiam ex optimis poetis, et Persis et Turcis qui persice scripserunt, collectam. Animadvertitur argumentorum quidam ordo, de Deo, de unitate ejus, de laudibus Prophetarum, de bonis moribus (*der-mau'yzhah we-nafāi'h*), de laudibus Alii et filiorum ejus, de amore et amicitia, de temporis vicissitudinibus, etc. Versus finem reperiuntur minora poemata, ut chronosticha, aenigmata, versus memoriales, quaterniones (*ruba'ijjāth*), al. Praeter binas columnas, in quas unaquaque pagina divisa est, etiam margines carminibus repletæ sunt. Codex non est absolutus.
- X — 402. Cod. turc. chart. orient., foll. 305, 4° obl., char. neschi, continens *Humājūn-nāmeḥ* (cf. Cod. 396 et 405), sed non integrum; excidit enim folium post f. 42, et librarius ipse f. 44 r. med. omisit partem fere dimidiam capituli primi et initium secundi, quae in Cod. 405 occupant totum illud spatium a f. 56 r., l. 2, usque ad f. 87 v., l. 5. Insuper bibliopega foliorum ordinem mirum in modum turbavit. Restituimus eum in tabella quam in latere interiori pegmatis positam reperies.
- 403. Cod. arab. foll. 350, 4° obl., char. nescha'liq, continens *Durar-el-'hokkām fi-schar'h-ghurar-el-a'hkām*, i. e. Commentarium arabicum in *Ibn-Ferāmorzi* Institutiones

juris Muhammedani, ab eo ipso conscriptum. Praefixus est index librorum et capitum. Cod. abs. A. H. 1055 (Chr. 1645—6) ab Hosein Ibn-'Omar. No. 404. Cod. arab. foll. 228, 4° min., char. nescha'liq: *Raudh-el-achjār el-munthechab min-rebi'-el-abrār*, opus miscellaneum excerptum ab *Abū-Aḥmed Muḥammed Ibn-Qāsim Ibn-Ja'qūb*, Amasiae nato, ex opere celeberrimo *Abū'l-Qāsim Maḥmūd Ibn-'Omar Ibn-Aḥmed Ibn-Muḥammed Ez-Zamachscherii*, quod inscribitur *Rebi'-el-abrār*. Est autem hoc opus e genere *ṭōv muḥādhērāth*, i. e. eorum operum, quae exhibent sylvam locorum ex historia, traditione, poetis et elegantioris doctrinae monumentis petitorum et certis argumentis subjectorum, quos pro re nata ad orationem confirmandam et ornandam adhibere possis. Divisum est in 50 *raudhāth*, quae ad omnia fere, de quibus inter homines eruditos et elegantiores sermo incidere solet, vere, venuste acuteque dictorum et narrationum materiam suppeditant. Sed quum Zamachscherii liber volumine suo plerosque a legendo absterreret, noster eum in hoc compendium redegit idque Solimano I dedicavit. Codex quem habemus, operis optimi optimus, notis marginalibus instructissimus est, quibus epitomator ipse paene omnium eorum, quorum in libro mentio fit, breviter vitam narrat et opera recenset, item voces rariores explicat. Praefixus est in duobus foliis index capitum et argumentorum. Praeterea in quinque foliis omnium primis et in duobus ultimis aliquis multa bonae frugis, praesertim e libro *El-Awwalijjāth*, de primis rerum inventoribus et auctoribus, nec non in marginibus libri ipsius alia notavit. Pag. I in margine exstat nota epitomatoris, qua docet se natum fuisse A. H. 864, d. 27 mensis Scha'bān (A. Chr. 1460), studium Theologiae et Jurisprudentiae absolvisse A. H. 888 (Chr. 1483), deinde doctrinam, inde a Zamachscherio per manus ad patrem usque suum propagatam, ab hoc accepisse. Alia nota ibidem est de vita et operibus Zamachscherii (nat. A. H. 467, d. 27 mensis Redjeb, A. Chr.

Beccaris-
f. 32 r. med.
Noto !!